



2 400 40 MADE IN SPAIN



RESPONSVM
 EXCELLENTISS.
 I. V. DOC. DOMINI PETRI
 VERGERII FAVONII
 In materiam fideicommissi



BONONIAE,
 Typis Mercurianis Ioannis Rosij,
 MDLXX.

Curiae Episc. & S. Inquisit. concessu.



RESPONSVM

EXCELLENTISS.

I. V. DOC. DOMINI PETRI

VERGERII FAVONII

In materiam fideicommissi



BONONIAE,

Typis Mercurianis Ioannis Rosij,

M D L X X.

Curiae Episc. & S. Inquisit. concessu.

S V M M A R I V M.

- 1 *In controuersis, quæ ex testamento proficiuntur, ueritas non aliter exquiri potest, quàm inspectis cognitisque uerbis testamenti.*
- 2 *Disputationem de re ciuili diligentissimè esse expendendam à doctis uiris, & in eadem sapientia uersatis:*
- 3 *Quales esse decet, per quos Iuris effectus accipitur:*
- 4 *Qui rectè intelligunt substitui non posse, qui non sunt: & contrarium: quod uis cognosci, & suppleri à suo contrario.*
- 5 *Habitu quoque; quicumque ille fuerit; antecedere priuationem.*
- 6 *Argumentum à contrario sensu est in Iure aliquando fortissimum argumentum. Id tamen limitatur, & declaratur num. 17. & 19.*
- 7 *Morti uitam opponi quilibet concedit.*
- 8 *Conditione, sub qua aliquid promissum fuit, nondum secuta: tempus illius, quod promissum fuit, euenisse nequaquam dici potest.*
- 9 *In duobus coniunctim, & copulatiuè ad eundem actum à lege requisitis, alterum duntaxat impleri non sufficit.*
- 10 *In finibus quibusdam neque inueniri medium, neque excogitari.*
- 11 *Cum ex duobus dicendis alterum dici non potest, alterum poni necesse est.*
- 12 *Oratio constituta ex specie, genere, & differentiis genus informantibus diffinitionis, uel proprii pronuntiatum sit oportet.*
- 13 *Cui proprium, uel diffinitio conuenit, illud quoque conueniat necesse est, de quo proprium, uel diffinitio prædicatur: & è conuerso.*
- 14 *A quibus remouetur proprium, uel diffinitio ab iisdem omnibus remoueatur oportet id, cuius est uel proprium, uel diffinitio: & è contra.*
- 15 *Qui uno solo casu, uno duntaxat tempore aliquem uocat ad hereditatem, is una pronuntiatione duas expresserit sententias necesse est.*
- 16 *Casus & sensus, siue argumentari à casu, & argumentari à sensu idem est.*
- 17 *Prudentes ratiocinantur à sensu contrario, cum in altero sensu apparet quid legislator uoluerit, in altero autem non apparet.*
- 18 *In claris non est confugiendum ad coniecturas.*
- 19 *Argumentum, uel ratio fidem faciens non esse rei certæ & manifestæ: sed dubiæ & obscuræ.*
- 20 *Valde stultas esse controuersias, & consultationes de his, quæ nullam prorsus habent*

sus habent dubitationem. I A M M V 2

- 21 *Contrarium in testamento, & absolute in iure uitandum esse.*
- 22 *Aduerbium (ita ut) declaratiuum esse.*
- 23 *Inter instituere & excludere datur medium; quod est neque instituere, neque excludere.*
- 24 *Ea tantummodo dicuntur deficere nos, uel defecisse, in quibus non est iam, aut nunquam fuit spes ulla ut euenirent.*
- 25 *Quae potestatem conditionis habent, licet aliquandiu cessauerint, & in suspense fuerint, quia tamen in ipsis semper fuit spes ut euenirent, dici non possunt aliquo modo, neque cum iam euenerunt, nos deficere: neque alias unquam defecisse.*
- 26 *Tria sunt, quae in testamento, atque in omni scripto controuersiam facere possunt; ambiguum, discrepantia scripti, & uoluntatis, scripturae contraria.*
- 27 *Improbis litigator damna, & expensas aduersarii resarcire tenetur.*
- 28 *Voluntati testatoris parere oportet.*

P V N C T V S I N disputationem deductus.



VNCTVS; super quo primitus discutendum, ac disceptandum uenit in causa, quae uertitur inter Magnificum Dominum Alexandrum de Gozadinis nobilem, & Senatorem Bononiensem agentem ex una: & Comitem Ludouicum de Gozadinis, & litis cōsortes, reos conuentos partibus ex altera: in, & ex actis Ser Emili Roffeni Notarii; talis est, uidelicet.

Præsuppositis pro ueris, testamento condito per olim Excellentissimū I. V. Doct. ac Equitem auratum Dominum Scipionem de Gozadinis; quodq; idem Dominus Scipio, & post eum Ioannes Antonius sui filius, successiueq; Ludouicus, & Hieronymus nati ex ipso Ioanne Antonio, & post eos Com. Vincentius natus ex ipso Domino Ludouico, & Com. Scipio natus ex dicto Domino Hieronymo fati cesserint absq; aliquibus filiis masculis legitimis & naturalibus, & de legitimo matrimonio natis: superstitibus tamen, & adhuc in humanis agentibus filiabus legitimis & naturalibus, & de stirpe legitima natis eorumdem Com. Vincentii, & Scipionis, qui tanquam ultimo decesserunt ex linea & descendētia dicti quon. D. Scipionis testatoris antedicti: quaeritur an uenerit casus, siue dies fideicommissi, & substitutionis factae per dictum Dominum Scipionem in sui testamento, & ultima uoluntate de aliis de Domo, & Familia Gozadinorum proximioribus in gradu ipsi testatori legitimis & naturalibus; & qui descenderint de stirpe legitima & naturali.

D. Petri Verg. Fauo.

TESTAMENTI VERBA.



IN OMNIBVS autem suis bonis mobili-
bus, & immobilibus, & se mouentibus iu-
ribus, & actionibus tam præsentibus, quam
futuris Ioannem Antonium eius filium, &
quemcunq; alium filium masculum nasci-
turum ex ipso, & Domina Beatrice eius
uxore hæredem, & hæredes instituit, & esse uoluit æquis por-
tionibus; & eos inuicem substituit pupillariter, uulgariter, & per
fideicommissum.

Et si nullus filius masculus nascatur ex ipso, & dicta Domina
Beatrice; uel nascantur unus, uel plures masculi ex prædictis, &
morianur in pupillari ætate, uel postea quocunq; sine filiis
masculis legitimis & naturalibus: tunc, & eo casu, seu casibus
instituit, & substituit dictum Ioannem Antonium.

Et si dictus Ioannes Antonius moriatur quocunq; nullis
aliis filiis masculis dicti testatoris superstitibus: tunc, & eo casu
substituit omnes, & quoscunq; filios masculos legitimis & natu-
rales dicti Ioannis Antonii; quos inuicem substituit pupillari-
ter, uulgariter, & per fideicommissum.

Et si alii filii masculi nascerentur ex ipso testatore, & Domina
Beatrice, & alter eorum præmoriatur: tunc, & eo casu substituit
alios fratres superuenientes utrinque coniunctos; quos inui-
cem substituit pupillariter, uulgariter, & per fideicommissum;
& cuiuslibet eorum substituit filios masculos, legitimis & natu-
rales cuiuslibet prædictorum.

Et si dictus Ioannes Antonius moriatur nullis filiis, seu libe-
ris, uel aliis suis descendantibus existentibus masculis; & nul-
lo, uel nullis aliis superuenientibus ex dicto testatore, & Domina
Beatrice non natis: uel natis & mortuis; ita quod nullus superfit
filius, nepos, uel pronepos, uel alius masculus descendens ex li-
nea masculina legitimis & naturalis, & de stirpe legitima & natu-
rali dicti testatoris: tunc, & eo casu, uel casibus substituit di-
ctam Magdalenam eius testatoris filiam, & quamcunq; seu
quamcunq;

Responsum.

quamcunq; filias foeminas tantum descendentes ex dicto testa-
tore, & dicta Domina Beatrice; & quamcunq; seu quamcunq;
filias foeminas dicti Ioannis Antonii: quas omnes inuicem substi-
tuit in stirpes, & non in capita pupillariter uulgariter. Et per fi-
deicommissum in infinitum omnes eorum descendentes sub-
stituit.

Post mortem uero dicti testatoris, & suorum descenden-
tium prædictorum utriusque sexus: ita quod ex progenie di-
cti testatoris nullus superfit; (quod DEVS auertat) tunc, & eo
casu, seu casibus substituit pupillariter uulgariter & per fidei-
commissum omnes, & singulos de Domo, & Familia Gozadi-
norum proximiores in gradu dicto testatori legitimis & natu-
rales; & qui descenderint de stirpe legitima & naturali.

Item dictus testator omnimodo prohibet, & uetat dicto Io-
anni Antonio, & cuilibet alteri suo filio nascituro suis hæredi-
bus institutis, & omnibus & singulis suis hæredibus tam institu-
tis, quam substitutis omnem alienationem, uenditionem, ob-
ligationem, permutationem aliquam quocunq; modo, ra-
tione, uel causa in futurum, in perpetuum fieri posse, uel de-
bere; maximè de Domo sua per dictum testatorem reedifica-
ri incepta, perfecta, uel imperfecta, uel de aliqua parte eius,
& pertinentiarum, & iuris eius, & de quibuscunq; aliis suis bo-
nis. quia uoluit dictam Domum, & eius bona immobilia esse
subiecta dicto fideicommissum, & restitutionibus.

Et si quid factum fuerit per dictum Ioannem Antonium, uel
alium eius nomine, uel per alios quod sit contra, uel præter
aliquod prædictorum, uel aliter; uoluit, mandauit, disposuit,
& declarauit dictus testator ipso iure & facto fuisse, & esse nul-
lum, nullius ualoris, momenti, efficacit, & effectus: cassum,
irritum, ruptum, & inane. cassando, annullando, irritan-
do omne instrumentum, & omnia instrumenta superinde
confecta, & conficienda à quocunq; notario: etiam si effect
cum decreto, uel cum auctoritate alicuius regiminis, uel
præsidentis, seu iudicis.

Quia uoluit dictus testator dictam suam Domum imperfe-
ctam, uel perfectam cum eius territorio, iure, & pertinentiis

B 2 eius, &

D. Petri Verg. Fauo.

eius, & omnia alia bona immobilia suæ hæreditatis semper, perpetuò, & sine temporis præfinitione continuè subiacere, remanere, & stare debere in, & pro usu, & usufructu, & habitatione prædictorum, & cuiuslibet prædictorum suorum filiorum; & aliorum, & aliarum, superscriptorum, & superscriptarum, institutorum, & substitutorum; & quorumcunque aliorum, quibus ut supra relictum est. Ac etiam mandauit dicto Joanni Antonio, &c.

EXCELLENTISSIMI

DOMINI PETRI VERGERII

FAVONII

pro Comite Ludouico contra
Dominum Alexandrum

RESPONSVM,

DIVINO INVOCATO AUXILIO.



IN CONTROVERSIIIS, quæ ex testamento proficiscuntur, exquiri ueritas non aliter potest, quam inspectis cognitisque uerbis testamenti. Præclara uox; & Caio^a Pauloque; ^b uiris prudentissimis maxime digna: quæ declarat non negligenter excuti debere à nobis hoc tempore (modo uerum amemus, ut profite-
mur)^c uerba propositæ uoluntatis: illa nimirum superscripta:

In omnibus autem suis bonis.

Et quæ sequuntur ad hæc usque alia:

Ac etiam mandauit dicto Joanni Antonio, &c.

Sunt (ut nobis quidem uidetur) orationis, quæ proposita est, duæ minores partes; alii Versus, aut Paragraphos uocarēt; ^d quæ bene animaduersæ nubem omnem erroris in præsentī controuersia facile cuique; possunt eripere.
vna est;

Et si dictus Ioannes Antonius moriatur quandocunque; nullis aliis filiis masculis dicti testatoris superstitionibus: superstitionibus autem filiis, seu liberis, uel aliis suis descendentibus masculis legitimis & naturalibus, & ex stirpe legitima & naturali: tunc, & eo casu substituit omnes, & quoscunque; filios legitimos & naturales dicti Ioannis Antonii.

Altera uero;

Et si dictus Ioannes Antonius moriatur quandocunque; nullis filiis, seu liberis, uel

^a l. de his ff. De transact.
^b l. i. ff. quemad. testam. aper.

^c l. i. De inst. et in. in princi. & l. i. §. proinde. de uar. & extraord. cog. etc.

^d glo. ad l. ij. super uerbo centena. De uet. in. enucl.

ris, uel aliis suis descendens existentibus masculis: & nullo, uel nullis aliis superuenientibus ex dicto testatore, & domina Beatrice non natis, uel natis & mortuis: ita quod nullus supersit filius, nepos, uel pronepos, uel alius masculus descendens ex linea masculina legitimus & naturalis, & de stirpe legitima & naturali dicti testatoris: tunc, & eo casu, uel casibus substituit quamcumque, seu quascumque filias feminas dicti Ioannis Antonii.

Priore parte exponitur casus, quem Positiuum, uel Affirmatiuum licet appellare: posteriore quem Negatiuum, uel Priuatiuum. Priuatiuus est;

quandocumque post mortem Ioannis Antonii non extiterint aliqui filii, seu liberi, uel alii descendentes masculi legitimi & naturales.

Positiuus autem per contrarium;

quandocumque post mortem Ioannis Antonii extiterint aliqui filii, seu liberi, uel alii descendentes masculi legitimi & naturales.

Nec conturbet; quod plus aliquid inuenitur in his, quæ à nobis nunc recitantur, quàm expressum fuerit in ea, quæ modo præscripta, & præposita est testamenti dictione. Illud nos initio, cum hæc aggredi cogitaremus, existimauimus; sicut nunc quoque existimamus; institui à nobis disputationem, † & ipsam quidem diligentius expendendam non tamen ab imperitis & rudibus; sed à doctis uiris & in ciuili sapientia exercitatis. † quales in primis esse decet per quos iuris effectus accipitur. † qui scilicet non modo intelligerent substitui non posse, qui non sunt: † uerumetiam contrarium quoduis optimè cognosci, suppleri, adiuuari, ex reliquo contrario. † & præterea non esse priuationem, quam semper habitus aliquis; quicumque ille tandem fuerit; non antecedit. † Hæc cum ita se habeant: & sit insuper inter litigantes extra omnem controuersiam, post mortem Ioannis Antonii primi instituti; & Ludouicum filium eiusdem, & Vincentium nepotem ex Ludouico uita decessisse; † sola (quod attinet ad personam, pro qua disputamus) Francisca Vincentii filia nunc supersit: adeoque una aliqua femina legitima & naturali, & ex stirpe legitima & naturali ipsius testatoris. † quæritur an uenerit tempus, in quo proximi ex transuerso Gozadini uocentur ad Scipionis defuncti hæreditatem necne. † Contendentibus super ea re in iudicio annum iam, & amplius supra integrum lustrum, Ale-

xandro

dro Gozadino uno ex quadraginta uiris Bononiæ, qui se proximum agnatum prætendit ex una: & Com. Ludouico Vincentii filio legitimato, eodemque cessionario Francisca antedictæ ex altera. † Nam cum tria sint in infinitum; ut mox etiam magis declaratur à testatore; † substitutorum genera; unum primum descendens masculorum: † secundum feminarum descendens: † tertium, & ultimum agnatorum uenientium ex transuerso. †

Scipioni; inquit Alexander; qui in suo testamento hæc pronuntiat; † Si Ioannes Antonius moriatur nullis filiis, seu liberis, uel aliis suis descendens existentibus masculis: tunc, & eo casu, uel casibus substituo quamcumque, seu quascumque filias dicti Ioannis Antonii; necessario consequens est à contrario sensu; † quod est in iure aliquando fortissimum argumentum; † ut uoluerit dicere se feminas descendentes à sua successione excludere; si Ioannes Antonius primus institutus decessisset; quomodo reuera decessit; filiis masculis existentibus. † Simul autem ut & illud mandauerit, ubi secunda substitutio semel feminas defecisset per existentiam, superuenientiam uel; ut dicerent; descendens masculorum, euauisset autem & prima in maribus; (quod nunc creditur euenisse, ob eorum omnium interitum: †) † locum esse debere tertie. qua substitutione uocantur omnes proximi ex transuerso Gozadini. † Tot ferè Alexander. At ex diuerso Comes Ludouicus negans quæ sibi officientia ab actore aduersario proponuntur. nondum, inquit, uenit tempus, in quo proximis ex transuerso Gozadini defuncti hæreditas debeat restitui. quia testator euidentius, quàm dici possit, oratione sua expressit uelle se sibi morienti Ioannem Antonium filium hæredem esse. † decessenti autem Ioanni Antonio filio suam, & Ioannis Antonii prolem masculinam in infinitum; primo marium, deinde feminarum. † post mortem uero suam, & filii, necnon etiam suæ ex se, & filio suo sobolis, posteritatis uel masculinæ uniuersæ tam marium, quàm feminarum, proximos ex transuerso Gozadinos. † Quibus ueris, & indubitatis manentibus: & præsertim illo: conditionem; qua demum ueniente Scipio testator pollicetur hæreditatem proximis ex transuerso Gozadini; esse mortem omnium descendens. † Morti autem; quod nemo

a ut ex processu.

b in responso infra S. tria sunt fol. 17.

c supra in testam. S. & si dictus, il primo iuncto S. & si dictus, il secundo uersic. & per fideicom. & S. post mortem. d S. & si dictus, il secundo iuncto eod. uersic. & per fideicom.

e d. S. post mortem. f d. S. & si dictus, il secundo.

g l. i. S. huius rei De offi. eius.

h ut supra in eod. puncto.

i ut in eod. puncto.

k supra in testamento S. post mortem.

l in eod. testamento in prin. & S. sequenti.

m in eodem testamento S. & si dictus, il secundo iuncto uersic. & per fideicom.

n in eod. testamento d. S. post mortem.

o in eod. testamento d. S. post mortem.

a arg. l. ij. S. contrarium. De uer. iu. enucl. & supra d. l. De his. & l. i. quemad. testam. aper. & S. quod iam in proemio ff.

b arg. l. diu. fratres. De iu. patro.

d. l. ij. S. quæ omnia. & S. cum hoc in proemio Inst.

c l. ij. S. post originem: De orig. iur.

iuncto S. & quod iam in proemio ff.

d l. quidam referunt ff. De iu. codicil. et l. i. Cum. prædio.

e l. qui accusare ff. De accus. l. i. De his, qui sui, uel alieni iu.

f l. decem. De uerb. oblig. & l. manumissiones. De iust. et iu.

g ut in puncto.

h ut in eod. puncto.

i ut in eod. puncto.

o ut in eod. puncto.

nemo non concedit; uitam opponi. licebit iam non magis pro Com. Ludouico quam pro ueritate ipsa ita bellissime ad rem propositam argumentari.

Præsens non est tempus, in quo euenit, quo demum ueniente Scipio testator pollicetur hæreditatem suam proximis ex transuerso Gozadinis.^a Contrarium namq; uerum est, superstitibus adhuc; maximo DEI beneficio; uocatis in secunda substitutione scæminis descendentibus.^b ergo præsens non est tempus, in quo Scipio testator uelit hæreditatem suam fieri uenientium ex transuerso agnatorum.

8 Etenim † generaliter in omni substitutione, & in omni actu cum non euenit, quo demum secuto aliquid fuerit promissum, illud non est tempus, in quo uelimus rem promissam fieri illius, cui sub conditione uel dedisse nos, uel dare uoluisse non ambigitur. Ita docuit Antistius Labeo, Iulianus, Papinianus, Ulpianus, ita Iustinianus Imperator.^c Itaq; manifestum est Alexandrum aduersarium non esse audiendum; qui petit sibi restitui ex prædicta uenientium ex transuerso substitutione eam; de qua nunc loquimur; Scipionis defuncti hæreditatem. Adde uero & hoc altero ex iisdem ante subiectis præstantissimo, firmissimo, & maxime necessario modo. Quo tempore nondum constat non solum primo institutos decessisse: uerumetiam post eorum mortem non existere aliquam posteritatem nec marium, nec scæminarum, id nullum est, quo ex transuerso Gozadini uocentur ad Scipionis defuncti hæreditatem.^d Vt enim Gozadini tertio, & ultimo loco substituti uerè, & propriè uocentur, utrunque prædictorum concurrat necesse est: & ut primo instituti ante decesserint: & præterea, ut post uita functos, non existat aliqua posteritas.^e nec † in duobus; (id quod sæpius traditum est) quæ à lege coniunctim & copulatiuè requiruntur ad eundem actum; sufficit alterum duntaxat impleri.^f Atqui dicam ego. Nunc est tempus, quo quidem nondum constat euenisse utrunque prædictorum. Nam & si constat primo institutos decessisse; non tamen constat non superesse aliquam posteritatem nec marium, nec scæminarum: quinimmo; ut modo dictum est; contrarium est uerissimum.^g Apparet ergo non uenisse tempus, quo uel

Senator

Senator aduersarius, uel alius aliquis ex transuerso Gozadinus uocetur ad eam, de qua nunc quæritur Scipionis defuncti successione. Sed quid certius? Est in proposito nobilissima, simul aut & apertissima testatoris uox illa; qua pronuntiat se substituere omnes suos descendentes per fideicommissum in infinitum.

Ait enim;

Et per fideicommissum in infinitum omnes eorum descendentes substituo.

Deinde statim subtexit;

Post mortem uero meam, & meorum descendendum prædictorum utriusque sexus: ita quod ex progenie mei testatoris, ex mea posteritate, ex descendentibus meis prædictis nullus supersit neque masculus, neque scæmina, (quod DEVS auertat) tunc, & eo casu: hoc autem est, tali casu, & tali tempore substituo omnes, & singulos proximos ex transuerso Gozadinos legitimos & naturales, & qui descenderint ex stirpe legitima & naturali. Si hæc uera sunt; ut sunt uerissima; etiam illud pro uerissimo, & maxime indubitato statui debet: nunc non uocari neque Alexandrum aduersarium, neque alios aliquos ex transuerso Gozadinos. nisi forte aliud dicentes, existiment hoc primum tempore aduersus Iuris regulam, uel sibi concedi, uel à nobis recipi posse. Ad quos testator mandauerit hæreditatem suam pertinere, illis non restitui, sed eripi debere. quibus autem omnino dandam non esse præceperit, illis, & non aliis eam restitui oportere. Nam defunctus uocans agnatos quo tempore non fuerint superstites neque mares, neque scæminæ descendentes: uelit, nolit aduersarius, aut ita uocat; ut una etiam mares, uel scæminas uocet: aut

10 non hoc modo: sed ita, ut solos agnatos uocet: & non alios. † Nul-
11 lum in finibus nec potest esse medium, nec excogitari.^b Cū au-
12 tem; quod nulli non patet; † primum dici nequaquam possit, &
† sit oportet oratio, quæ cōstituitur ex multis Spetie^d scilicet, ac Genere, & Genus informantibus Differentiis,^f uel diffinitionis alicuius, & uel proprii^b pronuntiatū: ita ut quæ proferuntur retorqueantur, cōuertantur uel inter se hoc modo. Quo tēpore proximi ex transuerso Gozadini uocantur ad Scipionis hæreditatē, illud sit necesse est, in quo non fuerint superstites aliqui neq; mares, neq; scæminæ ex testatoris posteritate. Quo tēpore non fuerint superstites aliqui neq; mares, neq; scæminæ ex testatoris posteritate, illud oē sit oportet,

C

in quo

a eodem in testamento, & dicto §. post mortem.
b ut supra in puncto.

c l. legata. De cōdit. & demonstr. l. i. ff. de donat. l. itaq; ff. si cert. pet. l. hæc uenditio. ff. de cōtrahen. em. pt. l. si quis post diem, quando dies legat. uel fideicom. cedat. l. cedere diem. ff. de uerbo. signific. §. ex conditionali insti. de uerbo. obli.

d in testamento dicto §. post mortem & infra.

e in eod. §.

f l. si hæredi. De cond. insti. l. quod uulgo. De manum. in testamento. l. si quis ita. De uerbo. oblig. §. penult. inst. de hered. inst. g ut supra in puncto.

a l. liberorū. §. toties. ff. de uerborū signific. §. disponat. Authen. de nupt.

b argu. l. Pomponius. §. sed & is. ff. De procur. facit optime. d. l. i. in fin. de iust. & iu.

c l. hæc uerba. ff. De uerbo. & re. signific.

d Specie dicit tempus, in quo proximi Gozadini uocantur.

e Genus autē tempus absolutè.

f Differentias uero, in quo non fuerint superstites aliqui neque mares, neque scæminæ ex testatoris posteritate.

g l. i. §. dolum. ff. de dolo malo.

h §. ius autem insti. de patr. potest.

in quo proximi ex transuerso Gozadini uocantur ad Scipionis hæreditatem. Similiter & per negationem, Quo tēpore proximi ex transuerso Gozadini non uocantur ad Scipionis hæreditatē, id omne sit necesse est, in quo fuerint superstitēs aliqui uel mares, uel fœminæ ex testatoris posteritate. Et quo tempore fuerint superstitēs aliqui uel mares, uel fœminæ ex testatoris posteritate, id nullum est, in quo proximi ex transuerso Gozadini uocantur ad Scipionis hæreditatem. † Cui enim propriū, & diffinitio conuenit, illud quoq; cōueniat necesse est, de quo propriū, uel diffinitio affirmatur. ^a Cui conuenit de quo propriū, uel diffinitio affirmatur, etiam propriū, uel diffinitio conueniat necesse est. †^b A quibus remouetur propriū, uel diffinitio, ab iisdē omnibus remoueatur oportet id, cuius est uel, propriū uel diffinitio. ^c A quibus remouetur id, cuius est propriū, uel diffinitio, ab iisdem omnibus uel propriū, uel diffinitio semper remouetur. ^d Propterea † qui uerbis apertissimis nominatim, & spetialiter ostendit se uno solo casu, uno duntaxat tempore uocare nō descendentes Gozadinos ad suam hæreditatem: quo scilicet tēpore non superesset aliquis nec mas, nec fœmina ex sua posteritate, is una pronuntiatione, sub figura una, sub una uerborum cōceptione duas expresserit sententias necesse est. ^e Primam;

Ex quo tempore deserint esse in rerum natura omnes omnino ex mea posteritate tam mares, quam fœminæ, ab eo primū tempore, & non antè uolo hæreditatem meam meis non descendentes, mihi tamen proximis Gozadinis restitui. ^f Secundā;

Quādiū fuerit in rerū natura aliquis ex mea posteritate siue mas, siue fœmina, tandiū in infinitū: hoc autē est, sēper, perpetuū, absq; vlla tēporis præfinitione uolo hæreditatē meā illi restitui. ^g

Si ergo ex quo primum tempore restitui debet hæreditas uenientibus ex transuerso Gozadinis id illud est, quo quidem omnes omnino ex posteritate testatoris tam fœminæ, quam mares ad unum usque interierint: & præsens non est tempus eiusmodi: superstite adhuc (quemadmodum supra dictum est) Francisca testatoris abnepte. Qui obsecro fieri potest, ut nunc uenerit tempus, quo ex transuerso Gozadini, uel aduersarius, uel alii uerè, & propriè uocentur ad eam, de qua nunc loquimur, Scipionis defuncti successione? Ex contrario autem;

Si quandiū

Si quandiū fuerit in rerum natura aliquis ex testatoris posteritate siue mas, siue fœmina, tandiū etiam in infinitum hæreditas illi debet restitui: & præsens est eiusmodi tempus, superstite (quod libet repetere) Francisca testatoris abnepte. profecto; si uerum amamus; efficiatur necesse est, aut nulli alii, aut certè soli Francisca, cuius frater est, simul & celsionarius. Com. Ludouicus ante commemoratus restitui debere eam, quæ toties iam dicta est, Scipionis defuncti hæreditatem.

Non obstant, nec ad rem pertinent, quæ aduersarius contra proponit. Nam quod assumit testatorem protulisse, *quandocumque Ioannes Antonius uel mortuus fuerit, uel moriatur non existentibus filiis, seu liberis masculis substituo fœminas.*

Id quidē tam uerum est, quàm quod maximè. Non est autem uerum; nisi per maximam fraudem; inde aliquando rectè effici: ut, defuncto Ioanne Antonio cum filiis, testator argumentatione; quàm legentibus reliquerit supplendam à contrario sensu; uoluerit demonstrare se uel exclusisse, uel excludere uoluisse fœminas posteritatis suæ à sua successione: id tam falsum, & absurdum est, quàm quod maximè.

Superfedebo nunc ab iis, quæ plurima possem huc congerere de commemorato argumentandi genere: an scilicet ualeat, & quando, & quomodo: denique uerò, quæ sit in ea re aut uerior, aut certè magis frequens recentiorum, & nostrorum hominum opinio. Neque enim mihi propositum est inanem illorum imitari industriam: qui incidentes de quacunque re quaestiones usque adeo persequi solent, ut sapius eius; quod initio tractandum susceperint; obliuiscantur. Tantum dicam: quæ dicta optimi quique intelligant tempori, & institutæ disputationi non incongrua, nec inutilia fuisse. Licet igitur controuersa res non oscitanter, aut uitiosè uersanti; in quibus nunc uersamur; ipsa seipsam ostendat: nec solutionem iure aliquo à nobis exigere uideantur, qui in argumentando argumenti uinculum; si quod erat; fortè ut incautos exciperent; penitus contempserunt. Quia tamen dictum est ex oratione testatoris effici non posse nisi per fraudem maximam; quod aduersarius rectissime, & maximè necessario fieri contendit: ne diuersa sen-

C a tienti

^a d.l.i.S. dolum,
& d.S. ius autem.

^b d.l.i.S. dolum,
& d.S. ius autem.

^c d.l.i.S. dolum,
& d.S. ius autem.

^d d.l.i.S. dolum,
& d.S. ius autem.

^e arg. d.l. Pomponius. S. sed et is De procur.

^f in responso folio 9. uersu. quo tempore il secundo.

^g supra in responso. fo. 10. uersu. Et quo tempore ultimo. & supra in testamento. d. S. & si dictus il secundo. uersu. & per fideicom. & uersu. Quia uoluit.

^a arg. l. oratio. De sponsa.

tienti aliquid aliquando per calumniam obieciſſe dicamur: ad contrariam argumentationē ita respondebimus. ut & quo maximo uitio eadem labore explicemus: & ſimul etiam illud oſtendamus nullam fuiſſe Alexandro ipſi iuſtam cauſam uexandi tot laboribus, litiumq; expenſis, quem nunc tuemur ex perſona ſororis: (tuebimur autem,) adiuuante DEO, etiam ex perſona propria Ludouicum Com. Gozadinum. Erat; ut à nobis præmonſtrabatur; caſus Priuatiuus;

quandocunq; poſt mortem Ioannis Antonii non fuiſſent ſuperſtites aliqui filii, ſeu liberi maſculi legitimi & naturales,

Positium autem per contrarium;

quandocunq; poſt mortem Ioannis Antonii fuiſſent ſuperſtites aliqui filii, ſeu liberi maſculi legitimi & naturales.

16 Nunc; quod licet; ſubiiciatur. † Nec caſum Priuatiuum aliquid differre à priore ſenſu non contrario; qui uerbis hiſce continetur.

quandocunq; Ioannes Antonius mortuus eſſet non exiſtentibus aliquibus filiis, ſeu liberis maſculis legitimis & naturalibus.

Nec Positium à poſteriore uocato contrario ſenſu; qui exprimitur hac oratione.

quandocunq; Ioannes Antonius mortuus eſſet exiſtentibus aliquibus filiis, ſeu liberis maſculis legitimis & naturalibus.

Eo præpoſito, atque ſubiecto ob eam uerò rationē, & hoc alio pro iſdem habenda eſſe hoc tempore ſenſum, & caſum: ſiue argumentari à ſenſu, & argumentari à caſu: quandoquidem uel æqualia ſunt, uel mutua uice funguntur, quæ tantundem præſtant; ^a primum respondemus. ſolere homines ſanæ mentis ratiocinari à ſenſu contrario; ſiue per eam, quæ eſt à contrario ſenſu ratiocinationē, quaſi coniectura quadam aliquid inueſti-

17 gare; † cum in altero quidem ſenſu apparet quid legiſlator uoluerit, in altero autem non apparet. ut ſcilicet intelligant quid ex mente unum pronuntiantis, & aliud omittentis, etiam in eo, quod omiſſum eſt, ſtatui debeat, & obſeruari. ^b Quod ſi mandans fieri, uel non fieri neutrum duorum ſenſuum abſque diffinitione prætermiſerit: ſed utrunque uerbis; & oratione explicuerit: tunc ſicuti incerta res non eſt: ita nec ullus reliquus à ſen-

ſu

ſu contrario argumentandi locus. Quod autem in propoſito noſtro legiſlator, teſtator uel utrunque duorum ſenſuum propria, & certa diffinitione comprehendat: ſatis ſuperq; inde colligi, & peruinci poteſt, quod comprehendit utrunque prædictorum caſuum.

Positium quidem; cum dicit;

Et ſi dictus Ioannes Antonius moriatur quandocunq; nullis aliis filiis maſculis dicti teſtatoris ſuperſtibus: ſuperſtitibus autem filiis, ſeu liberis, uel aliis ſuis deſcendentibus maſculis legitimis & naturalibus, & ex ſtirpe legitima & naturali: tunc, & eo caſu ſubſtituit omnes, & quoscuq; filios, ſeu liberos, uel alios deſcendentes legitimos & naturales, & ex ſtirpe legitima & naturali dicti Ioannis Antonii.

Priuatiuum autem, cum ſubiungit;

Et ſi dictus Ioannes Antonius moriatur quandocunq; nullis filiis, ſeu liberis, uel aliis ſuis deſcendentibus exiſtentibus maſculis: & nullo, uel nullis aliis ſuperuenientibus ex dicto teſtatore, & Domina Beatrice non natis: uel natis & mortuis: ita quod nullus ſuperſit filius, nepos, uel pronepos, uel alius maſculus deſcendens ex linea maſculina legitimus & naturalis, & de ſtirpe legitima & naturali dicti teſtatoris: tunc, & eo caſu, uel caſibus ſubſtituit quamcunq; ſeu quaſcunq; filias fœminas dicti Ioannis Antonii.

Si ergo uterque caſus, & item uterque ſenſus comprehenſus fuit à teſtatore propria, & certa diffinitione; profectò apparet uel luce (quod aiunt) meridiana clarius id, quod dudum dicebamus; aduerſarium aut non potuiſſe, aut certè non debuiſſe

18 in aperta re uti argumentatione à contrario ſenſu. † cū ſit certo certius in claris non eſſe confugiendum ad coniecturas: nec dif-

19 finiri † Argumentum, Rationem fidem facientem rei certæ, &

20 manifeſtæ: ſed dubiæ, & obſcuræ. ^b & propterea † ualdè ſtultas eſſe non modò lites, & controuerſias, ſed etiam conſultationes, quæcunq; fuerint de iis, quæ nullam prorsus habent dubitationem. ^c Sed ut concedamus Alexandrum uel debuiſſe uti, uel potuiſſe argumentatione à contrario ſenſu: illud nequam poterimus concedere rectè, & ut oportuit, uſum fuiſſe. Tria ſunt, (de illis loquimur, quæ propius ad res tractandas accedunt;) quæ teſtator facere cogitauit: ^d ac totidē in quibus ea eſt, quæ cogitauit, expreſſit: & nō plura, uel pauciora pronūtiata.

Primum;

^a l. certum. ff. ſi certum petat.

^b d. l. i. De offic. eius.

^a l. cōtinuus. §. cōtinuus. De uerbo. obligat.

^b Cice. in Topicis ad Trebat. In. Conſul.

^c l. Domitius Labeo. ff. de teſtam.

^d argu. l. Labeo. De ſupel. lega.

Primum; quod uoluit; est. Substitutio descendantium marium in infinitum.^a

a supra in testam.

Secundum; Substitutio foeminarum descendantium etiam in infinitum.^b

b supra in eod. testam.

Tertium; Substitutio non descendantium; sed uenientium ex transuerso, etiam in infinitum.^c

c supra in eod. testam.

Quia uero Clarissimus sui temporis Iurisperitus optimè intelligebat si purè, absolutè; & nullo alio adiecto animi cogitatus protulisset, Puta, hac pronuntiatione; substituo mares. Et mox; substituo foeminas. † Et mox iterum; substituo agnatos: nulum eos legis, aut testamenti locum; tamquam sibi ipsis contrarios; ullo unquam tempore uendicatueros esse.^d Iccirco ut ueterem, eandemq; non obscuram legislatorum, & omnium prudentium rationem secutus, tam magnum incommodum euitaret: tribus diuersissimis rebus, tres maximè diuersas, proprias tamen, in iisdem pronuntiandis siue condiciones, siue qualitates, siue differentias adnexuit.

d l. ij. S. contrariū autem. De uet. in. enucl.

e eod. S. contrariū autem.

Primo cogitatu adiunxit tempus, in quo Ioannes Antonius iam ereptus esset ex hominibus: non esset autem erepta posteritas marium uniuersa.^f

f d. S. et si dictus il primo in testamento, & in respon. folio 13 uersic. & si dictus. il primo g. d. S. & si dictus il secundo in eod. testam. & supra in respon. fol. 13 uersic. & si dictus il secundo.

h supra in testam. S. post mortem. & in respon. fol. 13 uersic. post mortem.

Secundo addidit, quando post mortem Ioannis Antonii nulli quidem mares existerent in rerum natura: existerent autem foeminae descendentes.^g

Tertio adiecit, cum mortuo Ioanne Antonio iam secuta esset mors, & omnino non existentia tam marium omnium, quam foeminarum: essent autem superstites proximi ex transuerso Gozadini.^h Propterea ex praedictis, hoc autem est cogitatum, & cogitatum differentiis à testatore consideratis:

Primum pronuntiatum est;

Ego Scipio Gozadinus substituo mares meae posteritatis quo tempore Ioannes Antonius primus à me institutus iam ereptus erit ex hominibus: erunt autem, uel supererint aliqui mares ex mea posteritate.ⁱ

i d. S. & si dictus il primo in testam. & in respon. d. uersic. & si dictus. il

Secundum;

Ego Scipio Gozadinus substituo foeminas meae posteritatis quo tempore nedum Ioannes Antonius; sed ne mares quidem aliqui

aliqui existent in rerum natura: erunt autem, uel supererint foeminae descendentes.^a

Tertium, & ultimum;

Ego Scipio Gozadinus substituo ex transuerso Gozadinos, quo tempore & Ioannes Antonius ereptus erit ex hominibus, & nulli etiam neque mares, neque foeminae ex mea posteritate superstites fuerint: superstilibus adhuc uenientibus ex transuerso Gozadinis.^b Cum autem testator in testamento suo clarè, & euidenter omnia, quae dicimus significauerit, clarissimè, & euidentissimè exposuit; quod si uellemus, medium cogitatum possemus appellare; scilicet, foeminarum substitutionem: cuius rei propriam qualitatem semel, atque iterum in uno, & eodem uerborum contextu demonstrauit. Semel quidem, cum dixit: quocumque tempore sequente mortem Ioannis Antonii non existerint aliqui filii, seu liberi masculi: neque ex illis, qui possunt descendere ex Ioanne Antonio filio meo: neque ex illis, qui possunt superuenire ex me, & mea uxore Beatrice illis casibus, quibus possunt non existere: scilicet non natiuitatis, uel natiuitatis & mortalitatis.^c Iterum autem, † cum ad maiorem declarationem; (quem modum propriè ostendit aduerbium (Ita ut)

a d. S. & si dictus il secundo in eod. testam. & in respon. fol. 13 in d. uersic. & si dictus, il secundo.

b in eod. testam. d. S. post mortem. & in respon. fol. 9. d. uersic. post mortem.

22 idem testator protinus subtexit: ita ut non super sit filius, nepos, uel pronepos, uel alius masculus descendens ex linea masculina legitimus & naturalis, & ex stirpe mea legitima & naturali.^d Nil mea quidem sententia aut uerius expositis, aut explicatis. Ex iis nos (nisi uelimus nos ipsos decipere, quomodo certè decipiunt se ipsos, qui per sophismata in propositis aut existimant, aut etiam tuentur contrariū:) non intelligimus tantum, sed manibus propè dixerim propriis & tangimus, & palpamus, aduersarii argumentationem illo maximo uitio laborare, quod per breuissimas mutationes ab euidenter ueris ad euidenter falsa decurrit.^e Cum enim dicente testatore in priore non contrario sensu. Quocumque tempore sequente mortem Ioannis Antonii non existerint aliqui filii, seu liberi masculi: neque ex illis, qui possunt descendere ex Ioanne Antonio filio meo, neq; ex illis, qui possunt superuenire ex me, & mea uxore Beatrice illis casibus, quibus possunt non existere, nō natiuitatis, uel natiuitatis & mortalitatis: uel quod idem est;

c d. S. & si dictus il secundo in testamento. d. l. libertas S. hac scriptura de manum. in testam. e. d. S. et si dictus, il secundo in testamento.

f l. natura caulationis. ff. de uerbo. significat.

quocumque

quocunque tempore sequente mortem Ioannis Antonii non supererit aliquis filius, nepos, uel pronepos, uel alius masculus descendens ex linea masculina legitimus & naturalis, & ex stirpe mea legitima & naturali: extiterint autem foeminae descendentes: tunc, & eo casu substituo foeminas.

Cum inquam, dicente testatore quae modo retulimus in prior non contrario sensu; debuerit aduersarius addita tantummodo negatione in posteriore contrario sensu, inferre: ergo; quocunq; tempore sequente mortem Io. Antonii superstes fuerit aliquis filius, nepos, uel pronepos, uel alius masculus descendens ex linea masculina legitimus & naturalis, & ex stirpe sua legitima & naturali nondum testator foeminas substituit. non id aut intulit, aut deduxit: sed quod non poterat, & erat, & est (ut iam demonstra uimus) b omniu falsissimum: adhac aut & repugnans tam uerbis apertissimis, quam menti, & uoluntati euidentissima ipsius testatoris; hoc nimirum. ergo testator excludit foeminas posteritatis suae a sua successione. quasi t uero non necesse sit etiam inter

23 Non instituere, quod est ut Nolle (neque. n. uult, aut madat, qui non instituit haereditatem suam pertinere ad eum, quem non instituit) c & Excludere, quod est, ut Velle; (uult enim, & praecipit, qui excludit successione suam non pertinere ad eum, quem excludit a sua successione.) d esse medium ipsum; quod dicimus nec Non instituere, nec Excludere. quemadmodum omnibus omnino approbationibus inter Nolle, & Velle medium est, e quod per negationem; ut dicerent; extremorum nec Nolle, nec Velle: uel totum hoc Nonnolle quandoque solet appellari. f Itaque; omnis quidem non substituens, quia non instituens est, h sit oportet uel mandans ut non pertineat, quatenus excludit: uel non mandans nec ut non pertineat, nec ut pertineat, quatenus non exercet neque contrarium, neque eundem actum actui, quem exercet instituens: non est autem necesse ut excludat, uel mandet haereditatem suam ad hunc, uel illum; quem non instituit pertinere. Sed quibus authoribus aliud, ut uideretur, Alexander didicerit: salua recte ratiocinandi, i ac etiam recte loquendi k ratione: ipse quidem proferat si potest. nos ut rem in paucissima, eademque uerissima, simul autem & manifestissima contrahamus, ita uniuersam duximus explicandam.

quocunque

a dicit. l. i. §. huius rei. De offi. eius.

b supra in respon. folio 10. uersicu. ex contrario autem.

c l. i. §. tot. titu. ff. de haered. instit. & to. tit. de liber. & posth.

d l. iij. §. tot. tit. de lib. & posth.

e l. vij. §. in peculio, & l. i. §. scientiam, iuncta glo. utrobique; de tributa. adt.

f arg. d. l. haec uerba. ff. de uerb. sign.

g d. l. i. §. scientiam de tributa. adt.

h d. l. vij. §. in peculio. §. de pecu.

i l. i. de vulga. & pupill.

k arg. l. neque natales, & ll. ad probatio. C. De proba.

l arg. l. Plautius De auro et argen. lega.

quocunque tempore sequente mortem Ioannis Antonii non extiterent aliqui masculi neque ex illis, qui poterant descendere ex Ioanne Antonio filio instituto: neque ex illis, qui poterant superuenire ex uxore Beatrice illis casibus, quibus potuissent non existere, non natiuitatis, uel natiuitatis, & mortalitatis: extiterent autem foeminae descendentes: tunc, & eo casu, uel casibus: hoc autem est illo omni casu, illo omni tempore, illis casibus omnibus testator substituit foeminas descendentes legitimas & naturales, & ex stirpe legitima & naturali: a

Nunc est, in quo tempore sequente mortem Ioannis Antonii non existunt aliqui masculi neque ex illis, qui descenderunt ex Ioanne Antonio filio instituto neque ex illis, qui potuerunt superuenire ex uxore Beatrice illis casibus, quibus poterunt non existere non natiuitatis, & natiuitatis ac mortalitatis: b existunt autem foeminae descendentes legitimae, & naturales, & ex stirpe legitima & naturali: c

Nunc igitur est, in quo tempore sequente mortem Ioannis Antonii testator substituit foeminas descendentes legitimas & naturales, & ex stirpe legitima & naturali. d Rursus;

Quocunque tempore sequente mortem Ioannis Antonii non superesset aliquis neque filius, neque nepos, neque pronepos, neque alius masculus descendens legitimus & naturalis, & ex stirpe legitima & naturali: extiterent autem foeminae descendentes: tunc, & eo casu, uel casibus testator substituit foeminas descendentes, legitimas & naturales, & ex stirpe legitima & naturali: e Nunc est in quo tempore sequente mortem Ioannis Antonii non superest aliquis neque filius, neque nepos, neque pronepos, neque alius masculus descendens legitimus & naturalis, & ex stirpe legitima & naturali: supersunt autem foeminae descendentes: f

Nunc igitur est, in quo tempore sequente mortem Ioannis Antonii testator substituit foeminas descendentes, legitimas & naturales, & ex stirpe legitima & naturali. g De iis autem, qui sunt proximi ex transuerso Gozadini, hoc modo. quo tempore sequente mortem Ioannis Antonii proximi ex transuerso Gozadini uocantur ad eam, de qua nunc loquimur haereditatem, id omne sit

D necesse

a d. §. & si dicitur, il secondo supra in testam. & supra in respon. fol. 10. uersu. ex contrario autem. b ut in puncto.

c ut in eod. puncto.

d ut supra in respon. fol. 10. uersu. ex contrario.

e d. §. et si dicitur, il secondo in testamento.

f ut supra in puncto.

g ut supra in respon. fol. 10. uersu. ex contrario.

neceſſe eſt; in quo non ſuperſit aliquis, neque mas, neque ſcœmi-
na ex progenie, poſteritatẽve teſtatoris. ^a

Nunc contrarium uerum eſt: nam ſupereſt aliquis uel mas,
uel ſcœmina ex progenie, poſteritatẽve teſtatoris. ^b

Nunc igitur non eſt, in quo tempore ſequente mortem Io-
annis Antonii proximi ex tranſuerſo Gozadini uocẽtur ad eam,
de qua loquimur hæreditatem. ^c

Iam uerò ex iisdẽ; modò bene animaduertantur; omni certo
certius, & manifeſto quodammodo manifeſtius appareat neceſ-
ſe eſt; non defeciſſe conditionem, qua ueniente teſtator polli-
cebatur ſuam hæreditatem ſcœminis ſuæ poſteritatis. Etenim
res ipſa loquitur, uel clamat potius; nobis etiam nihil dicenti-
bus; ultimæ uoluntatis Elogium perinde accipi debere, ac ſi
defunctus; facta relatione in mandandis, quæcunque man-
dat; ad tria diuerſa ſpatia, quæ in eodem tempore ſe ſe ordine
quodam, ſaltem poteſtate conſequentia: proximè; ulterius;
& adhuc magis ulterius; cogitatione & intellectu poterat pro-
uidere; per expeditiſſimam diuiſionem ita expreſſiſſet. Cum
hoc præſenti, quo hæc à me mandantur, exiſtant in rerum na-
tura descendentes mares, ſcœminæ descendentes, & proximi ex
tranſuerſo Gozadini: ^d ſi etiam tempus, quod mox ſequetur
mortem Ioannis Antonii erit; quod attinet ad eas differentias;
quale hoc præſens: aut mares, ſcœminas, & agnatos ſimul reti-
neat neceſſe eſt: aut agnatos, & ſcœminas: aut ſolos agnatos. Si
retinebit mares, ſcœminas, & agnatos: tunc, & eo caſu ſubſtituo
mares. Si agnatos, & ſcœminas, & non mares: tunc, & eo caſu
ſubſtituo ſcœminas. Si ſolos agnatos, & non alios, neque mares,
neque ſcœminas: tunc, & eo caſu ſubſtituo agnatos. Si ergò ex te-
ſtatoris diſpoſitione tria ſunt in propoſito noſtro ordine quo-
dam ſe ſe conſequentia tempora, primum descendentiũ ma-
rium: ſecundum ſcœminarum descendentiũ: tertium & ulti-
mum ex tranſuerſo agnatorum. Haud immeritò prudẽs aliquis,
& peritus ratiocinandi iam ſubiungat, & dicat.

Nunc demum uenit, uel impletum eſt in ſcœminis descendẽ-
tibus, in quo futuro tamquam ſub propria conditione Scipio
teſtator pollicebatur hæreditatem ſuam ſcœminis ſuæ poſterita-
tis:

tis: ^a igitur tempus, quod uenit, & conditio, ſub qua polliceba-
tur hæreditatem, non eſt de qua dici poſſit uel nũc deficere, uel
24 unquam defeciſſe ſcœminas descendentes. † Illa enim ſola dicun-
tur uel deficere nos, uel defeciſſe; in quibus aut nunc non eſt,
25 aut aliquando non fuit ſpes ut euenirent. ^b † At in cõditionibus,
quæ iam ſunt impletæ, licet aliquandiũ ceſſauerint, & in penden-
ti, & in ſuſpenſo fuerint: qualia ſunt omnia, quæ poteſtatem cõ-
ditionis habet: ^c eæ; quia ſemper fuit in ipſis ſpes, ut euenirent;
dici non poſſunt aliquo modo, neque cũ iam euenerũt, nos defi-
cere: neq; aliàs unquam defeciſſe. Quod uero inſtitutæ diſputa-
tionis reliquum eſſe uidetur, nullam fuiſſe Alexãdro aduerſario
uel iuſtam cauſſam, uel bonam occaſionẽ litigandi, id ex eo per-
26 ſpicuum eſſe poteſt: quòd cum † tria ſint, quæ cõtrouerſiam in
teſtamenti, & in omni ſcripto facere poſſunt: ambiguum, diſcre-
pantia ſcripti, & uoluntatis, ſcriptura ſcripturæ contraria. ^d Ale-
xander quam mouit litem neque ex prædictis omnibus, neque
ex aliquo prædictorum potuit mouere. quæ optima ratio, etiã
per ſubiectam orationem argumentationem uel ita pulcherrimè
poteſt explicari. Quibus ex teſtamento & omnino ex aliquo ſcri-
pto fuerit aliquando uel iuſta cauſſa, uel bona occaſio litigandi,
omnes litem mouerint neceſſe eſt uel ex omnibus his: ambiguo,
diſcrepantia ſcripti, & uoluntatis, ſcriptura ſcripturæ contraria;
uel ex aliquo, aliquibus uel eorum. ^e Aduerſarius neque ex præ-
dictis omnibus, neque ex aliquo prædictorum litem; ut cõſtat;
potuit mouere: apparet ergo id; quod dictum eſt; nullam fuiſſe
aduerſario uel iuſtã cauſſam, uel bonam occaſionẽ uexandi tot
laboribus, litiumq; expenſis quẽ nunc tuemur Ludouicũ Com.
Gozadinum. Cum aut Alexãder ut efficeret, quæ mollebat, uel
adeoq; ut uel ambiguum opponeret, uel diſcrepans, uel contra-
rium, etiam ad cauillationes legibus, & rationi maximè inimicas
27 confugere non ſit ueritus: ^f ipſe quidem ut improbus litigator
& damnum, & impenſas litis inferre Com. Ludouico cogendus
erit: ^g quæ autem in defuncti teſtamento ante annos propè cen-
tum ſcripta inueniuntur, ſic, & non aliter accipi debebunt. Vir
Patricius, Aeques, Comes, & Doctõr utriuſque iuris Scipio
Gozadinus teſtator præcipiens in ea rei iuri cõmuni non abhor-

^a ſupra in teſtame-
S. poſt mortem.

^b ut in puncto.

^c ut ſupra in re-
ſpon. fol. 10.
uerſi. ſi ergò.

^d ut ſupra in te-
ſtam. per totum.

^a ut ſupra in re-
ſpon. fol. 10
uerſic. ex contra-
rio. fol. 10.
uerſic. nunc igitur.
fol. 10. uer-
ſi. nunc igitur.
^b l. ſi ita fuerit,
l. ſi ita ſcriptũ
de manu. in teſta-
men. ex conditiona-
li inſtit. de uerbo.
obliga.
^c l. cum ad præ-
ſens, iuncta ſequen-
ti. l. itaq; ff. ſi cer-
peti.

^d Idem Cic. in To-
picis ad Trebat. lu.
Conf. propè finem.

^e ex eod. loco in
Top.

^f ſupra in reſpon.
fol. xv. uerſi.
ex ijs.
^g S. hæc autem,
inſtit. de pœna te-
me. litigan.

a l. maximum uirtutum. C. de liber. præ. & l. cum accuratissimi. C. De fideicom.

b d. S. et si dictus, il secondo supra in testamen. iuncto d. uers. & per fideicom. ¶ Dicens quodam modo cum Poeta. Et nati natorum, & qui nascentur ab illis. Virgil. lib. iij. Aeneidos.

c d. S. & si dictus, il secondo supra in testam.

d d. S. post mortem supra in testamen.

e supra in respon. fol. xxi.

f supra in eod. respon. fol.

g in uers. Octauij Augusti incipien. ergo ne supremis.

rentia^a quascunque filias Ioannis Antonii, ob eam uero rationē aliquos suos descendentes ita uocat, ut eorum, id est talium descendentium etiam descendentes uocet in infinitum: ^b si tempore sequente mortem Ioannis Antonii, uel non superessent, uel non existerent ulli descendentes mares illis casibus, quibus potuissent non existere, uel non natiuitatis, uel natiuitatis, & mortalitatis. ^c mox autem alio quodam tempore; quo scilicet tempore sequente mortem Ioannis Antonii uel non existeret, uel non superesset ullus neque mas, neque scemina ex sua posteritate; uocat aliquos non descēdentes; quatenus uocat omnes proximos ex transuerso Gozadinos. ^d alterum iam impletum est in persona, ut prædocuimus^e Franciscæ testatoris abneptis: alterum autem nec uenit adhuc, nec est eiusmodi, de quo aliquo modo dici possit ipsum uenisse: ^f superstitē eadem, quam dicimus, Franciscæ testatoris abnepte. Itaque iure optimo, & optima cum ratione concludamus, & affirmemus necesse est: non aduersario, aut alii, sed soli Franciscæ; cuius frater est, simul & cessionarius Com. Ludouicus debere restitui eam, de qua tantopere hucusque agitatū est Scipionis defuncti hæreditatem; si sanè uerum, quod non ante solos Centum, sed ante annos Mille & Quingentos a Prudentissimo, & Maximo Imperatorum Augusto scriptum esse traditur:

28 † SUPREMA VOLUNTAS

Quod mandat, fieriq; iubet, parere necesse est. §

F I N I S.